



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1624. usque ad annum 1627

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118863

§. 40. Ægidii Cannarti. Joannis Del - Rio & Julii Lagallæ decessus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67369)

Sæc. XVII.
A. C. 1624.

§. XL.

*Ægidii Cannarti, Joannis del-Rio
& Julii Lagallæ decessus.*

*Miræus
Script. Scæ-
cul. XVII.*

Hoc item anno Paulæ obiit Ægidius Cannartus non minus eruditione, quam Religionis studio ac sanctitatis opinione conspicuus. Hic anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo primo apud Rhetelios natus, raram animi sui indolem, & acerrimum, quo præditus erat ingenium non modo humaniorum literarum, & peregrinorum idiomatum cognitione excoluit, sed etiam in Theologicis & Dogmaticis versatissimus, de hæreticis verbo, calamo & opere gloriosos reportavit triumphos: Audierant eum expulso fulminantem Castrenses, Ruppellenfes, Neracenses, & Salmurienfes Calvinistæ, quorum non paucos ad veritatis semitam reduxit, ac præcipue Jofionem Calvinistam habita colatione, cujus acta Ægidius typis edidit, feliciter debellavit: Scripsit quoque varios hujus argumenti sermones, necnon tractatum in caput *Firmiter* de summa Trinitate. Hunc pari fato, nec minori nominis sui fama sequebatur Joannes del-Rio Antverpiensis Decanus, qui elegantem elucubravît com-
menta-

mentarium in diversos Psalmos: Utiliter quoque calamum suum non modo in Philosophicis, sed & Theologicis exercuit Julius Cæsar Lagalla natione Italus, qui Romæ Protonotarius, ac Philosophiæ & Medicinæ Professor tractatum de *immortalitate animæ*, necnon orationes de *Santissima Triade*, de laudibus Leonis X. & libros de *insomniis & divinatione per somnum* publici juris fecit.

Sæc. XVII.
A. C. 1624.

§. XLI.

Joannis Marianæ, Martini Becani, aliorumque e Societate Scriptorum fata.

Ex Societatis Scriptoribus, qui hoc anno mortalitatem exuere, præcipue nomen suum celebre reddidit Joannes Mariana patria Elborensis in Carpetanis natus, qui omne disciplinarum genus diligentissime excoluit, ac in variis Societatis Gymnasiis Theologiam, sacrasque literas summa cum laude interpretatus est; tandem vero valetudinis reparandæ gratia in Hispaniam reversus, scripsit triginta libros Annalium Hispaniæ. Edidit quoque Scholia brevia in vetus & Novum Testamentum, quæ vel ideo celebrantur, quia Auctor Hebraicorum nominum significationem exacte affecutus, anno-

Miræus l. c.
Dupin Bibl.
des Auth.
Eccles. t. 17.
pag. 131.
Alegambe
Bibl. Script.
S. J.